



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D.  
Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac  
Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas  
Missalis Et Breviarii Romani**

Adiectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum  
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

De Versibus. X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39775**

6 Versus positi in Psalterio ad Laudes, & Vesperas, semper dicuntur, quando alii proprii non assignantur in Proprio de Tempore.

## Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti

### Cap. X. De Versibus.

Gavant. pag. 62. col. 2. n. 1. -- Vertebat se cantantes Versus ad Orientem, vel ad Altare &c.) Versus à vertendo dicitur, vel quia ab Officio Psalmorum ad Lectiones vertimur, vel quia, quando Versum audimus, faciem illico vertimus ad Altare, ut omnis cogitatio, quæ foras exivit per vagationem, revertatur ad Deum per devotam introversionem, ut loquitur Cardinalis Bona de Divina Psalmodia cap. 16. §. 13. Canitur autem Versus clara, & accita voce, inquit præfatus Cardinalis, ut eo auditio excitentur pigrī, & revertantur ad cor. Rursus cani-

tur Versus ab uno, vel duabus Cantoribus, juxta qualitatem Ritus, sub quo celebratur Officium, duplicis, vel semiduplicis, & canitur nomine totius cœtus; Chorus deinde junctis omnium vocibus respondet. Amalarius lib. 4. cap. 4. testatur, pluribus locis Versiculos post Lectiones fuisse decantatos, quod Responsiorum loco essent, sicut in minoribus Horis Versiculus post brevem Lectionem dicitur; postquam vero Versus præfui fuere Lectionibus, Responsoria composta sunt.

## De Absolutionibus, & Benedictionibus ante Lectiones. XXV.

### R U B R I C A.

- 1 **A**bsolutiones, & Benedictiones dicuntur per ordinem in Officio novem Lectionum ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ponuntur, scilicet: Post Versum, dicto Pater noster, Et ne nos, dicitur Absolutio, & Benedictiones, ut ibi praterquam in Matutinis tenebrarum majoris hebdomadæ, & in Officio Defundrum, in quibus Absolutio, & Benedictiones non dicuntur.
- 2 Si fiat Officium trium Lectionum, & sit de Feria, in qua singula tres Lectiones sunt de Scriptura, Absolutio, & Benedictiones sumuntur ex prima Dominica de Adventu, hoc ordine. Feria ij. & v. dicuntur Absolutio, & Benedictiones primi Nocturni: Feria iij. & vij. secundi Nocturni: Feria iv. & Sabbato tertii Nocturni.
- 3 Si autem singula tres Lectiones sint de Homilia super Evangelium, Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra; Benedictiones vero semper dicuntur ut in iij. Nocturno, scilicet, prima Benedicō erit: Evangelica lectio: secunda: Divinum auxilium: tercīa: Ad societatem. Si sit de Sancto trium Lectionum, Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra; Benedictiones vero semper dicuntur ut in tertio Nocturno, hoc modo. Prima: Ille nos benedicat: secunda: Cujus, vel Quorum, vel Quarum Festum colimus: tercīa: Ad societatem.
- 4 Quando sit Officium S. Mariae in Sabbato, Absolutio, & Benedictiones dicuntur, ut habentur in ejus Officio parvo circa finem Breviarii.

Novæ

